


Schwoßmann:
Tractatus
in Presbyteris
diversis
Commentatio





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-671211-p0002-9

DFG

2438
P. 360

De
Episcopis a Presbyteris
diversis
Commentatio.

Qua
VIR O
Perillustri, Magnifico et Summe Venerabili
D O M I N O
ADAMO STRVENSEE

S. Theologiae Doctori Celeberrimo,
Augustissimi et Potentissimi Regis Daniae et Norvagiae
a Consiliis Ecclesiasticis in Senatu Sacro Supremo Primario, Generali per
Vtrumque Ducatum Superattendanti, Praeposito Gottorpensi,
Rensburgensi, Husumensi, rel.

De
Jubilaeo Sacri Ministerii
Anno CIC CI CCLXXX. Domin. xvii. p. Trinit. a. d. xvii. Septemb.
Sollemniter Celebrato

gratulabundus adplaudit
Guilielmus Alexander Schwollmann

Philosophiae et Liberalium Artium Doctor,
S. R. M. Daniae a Consiliis Senatus Sacri, Oraculorum divinorum interpres
in Arce Gottorp. et Eccles. Fridrichsberg. Pastor Primarius.

Hamburgi, prostat in bibliopolio HEROLDIANO



Epilogus à P. Petropolyse
Gomericiano

NARS
DOMINO
ADAMO SIRVENSE

Gescheitete Comedie
Vnde cito curte Domini virtute Jhesus et extra Scripturam
Gescheiterte Comedie

Comedie Schauspiel Z. Mutter
Z. Mutter Comedie Schauspiel Z. Mutter

Hannover, 1670. In der Druckerei von G. O. Schäffer zu Hannover gedruckt.
In den Druckerei von G. O. Schäffer zu Hannover gedruckt.

Hannover, 1670. In der Druckerei von G. O. Schäffer zu Hannover gedruckt.



 Ergo illuxit, *Vir summe venerabilis atque excellentissime*,
 dies ille, quo laetae omnium ad Te piorum advo-
 lant congratulationes, exoptatissimus. Quinquaginta
 elapsi sunt anni, quos sacris perfungendo munericibus dignissime
 egisti. Gaudent omnes ecclesiae Ducatus Slesvicensis et Holtatici
 de Praesule optimo, cunctis, quae grave requirat officium, abun-
 dantissime instructo; triumphat ecclesia Lutherana de Propugnatore
 dogmatum religionis puriorum dignissimo; submissas Deo gratias
 offerunt boni omnes pro Viro ad haec usque tempora, maximam
 ad utilitatem, Christianorum in primis coetui conservato: quilibet
 aplaudit cum jubilo, votisque integerrimis reverentiam declarat.
 Quid? otiosum me inveniri hac laetissima occasione patiar? Turpe,
 omniaq[ue] esset ac nefas. Hilaria et vota mea cum caeteris conjun-

genda non ego putaverim? At licet, quaeſo, *Vir summe reverende*, ut ne meris rem votis absolvam, exhibere, quantum vires quidem concesſerint, ſpecimen, *Episcopos jure divino et ab initio Novi Testamenti a Presbyteris fuisse diſtinctos, iisque ſuperiores, nec demum poſt decurſum CL annorum paullatim Episcopos Presbyteris praevalere coepiſſe*, evincens. Faciliſ erit, cur hanc in meditationem inciderim, divinatio. Longius quidem, quam decuit, hoc reverentiae pignus diſtuli, verum quamvis feram demum *TIBI offeram fidei tefſeram, feriam tamen offero*. Non autem hic agam de Jubilacorum moralitate, quae, ſi dies festi ſunt, quibus, remota ſuperſtitione, Deo pro acceptis per longum temporis intervalloſum beneficiis gratias agimus publicas, nemo ſani cerebri taxabit; ſed potius *TIBI offeram ſpecimen epiftolicum de diſcrimine inter Epifcopos et Presbyteros, non ut TE, antiquitatum christianarum promum condum, inſtruam, ſed ut voti loco TIBI, qui delicias amas antiquitatum, praeferim christianarum, mittam ac edam publicum, quanti TE faciam, documentum.*

Ere ducimus eſſe, ut brevibus, antequam ad theſin proceſſamus probandam, genuinam *Epifcopi* evolvamus ſignificationem. Notandum autem, vocem, eti origine græcam, tamen apud Romanos jam tum in uſu fuiffe. CICERO epift. II. lib. 7. ad Atticum, his uititur verbis: *Ego negotio praeſum non turbulentio; vult enim me POMPEJUS eſſe, quem tota Campania et maritima ora habeat inſonorē, ed quem delectus et ſumma negotii referatur.* Epifcopi Jurisconsultris ſunt illi, qui panificio et caeteris rebus yenalibus, quae civitatum

populis

A

populis ad quotidianum viculum usui sunt; praesunt, ut testatur lex 18. § 7. de mun. et honor. etc. ἐπιστολὴ enim Graecis est curam agere, providere. Unde apud PETRUM I. ep. c. IV. v. 15. ἀλλοτριοὶ πλοκοὶ dicitur, qui aliena curat, quae tamen nihil ad se attinent. Atheniensium ἐπιστολοὶ mittebantur annuatim ad subditos, quid apud quosque ageretur, observantes; erant enim illorum visitatores. Vid. comment. LUD. VIVIS ad c. 19. AUGUST. l. 19. de C. D. Et hui apud ARISTIDEM in orat. de concurr. ad Asiat. civ. secundi a Rege nominantur. Constituebantur et olim certaminum moderatores, quos dicebant ἐπιστολες ἀγῶνων, adtendentes, quo cuncta recte perficerentur. LXX Interpr. Ducem exercitus ἐπιστολον τῆς δουλείας vocant Num. XXXI. v. 14. item 2 Chron. XXX. v. 12 et 17. Artifices principales restaurando templo praepositi ἐπιστολοὶ dicuntur; quilibet et in civitate Rector vel Princeps illis est ἐπιστολος Neheim. XI. v. 9 et 14. item Num. IV. v. 16. ELEAZAR, filius AARONIS, in templi ministerio ἐπιστολος ELEAZAR vocatur. Ex hac, cum apud profanos autores, tum in Veteri Testamento, vocis significacione patet, ἐπιστόλη aut ἀπόστολη hoc ἐπιστολη titulo constanter apud interpretes significari. Nulla itaque dubitandi causa est, quin ἀρχὴ aliqua in ecclesia christiana a Novi Testamenti scriptoribus per ἐπιστολην indigetur. Hace et adtendens AUGUSTINUS l. 19. de C. D. c. 19. ἐπιστολον Superintendentem vel Superattendentem nominat. Quod vero attinet ad promiscuum vocis Presbyteri usum, patebit ille ex subsequentibus. Sumi autem pro Optimatibus et Grandaevis, ac tali significatu et Episcopis

competere largimur; cum conventus seu Senatus Romanus Presbyterium, et inde Senatores Presbyteri fuerint nuncupati. Verum missis generalioribus properamus ad declarandam et probandam thesin nostram: Dicentes, ex collatione initii cap. X MATTHAEI, et LUCAE X apicissimum esse, CHRISTUM Novi Testamenti sacerdotem aeternum secundum ordinem MELCHISEDECH, Ebr. VII. (unde his novissimis temporibus isti, qui se Novi Testamenti sacerdotes absque altari et templo, ut ORIGENES contra Celsum, lib. VIII., proprii dictos vocant, judaizare ac Christi sacerdotium tollere censentur) distincti ordinis ministros ecclesiae, Apostolos 12 (quos IRENAEUS vocat veritatis praedicatores, et Apostolos libertatis, TERTULLIANUS Christi convictores) et discipulos 70 instituisse, inter quos παθητοι ut faciales seu prodromi, προποδης emissi, Apostoli autem cumulatore et duratura auctoritate incrustati, ad idem munus, ad quod CHRISTUS a Patre misitus, destinati fuerunt, Jo. VI. v. 22. Pater judicium dedit filio, filius Apostolis Matth. XIX. v. 28. Luc. XXII. v. 30. Cor. VI. v. 3. 2 Cor. X. v. 6. Pater filio potestatem offert in terris remittendi peccata, filius itidem dat Apostolis in terris peccata remittendi potestam. Jo. XXII. v. 23. Pater filio claves exhibet Ies. XXII. v. 22. Apoc. III. v. 7. Apostolis filius claves tradit Matth. XVI. v. 19. Pater filio dedit sedere in throno ejus, filius et hoc Apostolis Matth. XIX. v. 28. Luc. XXII. v. 30. Filius est lapis angularis et lapis ecclesiae Matth. XXI. v. 42. Et filius constituit Apostolos fundamentum supra fundamentum Eph. II. v. 20. ἐποιεόμηθέντες επὶ τῷ θεουλῷ τὸν

equum

8 A

Apo-

Αποστόλων, ὃντος ἀποργάνωσιον ἀπὸ Ιησοῦ χριστοῦ. Pater tandem filium ἀπέσχε καὶ ἔπειψε Jo. V. v. 24. et c. XVII. v. 18. Sic et filius Apostolos mittit loco eis dicens: μαθῆτε ἐμὲ ἀπέστειλας εἰς τὸν οὐρανόν, καὶ γὰρ ἀπέστειλα ἀντεῖς εἰς τὸν οὐρανόν, et Jo. XX. v. 21: πέμψω ὑμᾶς. Quem igitur auctorem habuerunt Apostoli, cundem et Episcopi, Apostolorum vicarii, et Presbyteri, discipulorum secessores. Suffragatur hic nobis DAMASUS epist. 5. Apostolos non statim ad Apostolatum, sed per gradus (exceptis paucis, quos Deus ipse per sortilegium, ut MATTHIAM Act. I. v. 24, vel voce de coelo et mandato Spiritus Sancti, ut SAULUM et BARNABAM Act. XIII. apostolicas dignitatis participes fecit) ad dictum officium a Christo electos, testantur sacrae, si penitus inspiciantur, paginae. MARC. III. v. 14. dicit Evangelista: Καὶ επέβισε δώδεκα, ἵνα ὅστις μετ' ἀντεῖ, ναὶ ἵνα ἀποστέλλῃ ἀντεῖ, id est, ut perpetuo cum ipso essent, et ut mitteret eos: sicut in Veteri Testamento discipuli Prophetarum, munere ministrorum fungentes, ad ministeria dictorum obeunda parati erant; ut merito Prophetarum filii et ministri dici possint. Quidni ex hac prima constitutione et electione Diaconi πεποιημένοι dicantur, ex qua annunciandi Evangelium, ad quod ὁνδροὶ emissi Marc. VI. v. 7. et baptizandi potestatem (utramque in ecclesia assignatam Diaconis) competitissime iis patet, Jo. IV. v. 2. Posthaec potestas conficiendi sacramentum confirmationis Apostolis conceditur, mandante ipso Archiepiscopo Lvc. XXII. v. 19. his verbis: τέτοιο ποιέτε; quam ecclesia semper voluit competere Presbyteris folis, non autem Diaconis. Tertio loco solemnis

afflatu

afflatu ad munus episcopale a CHRISTO evehuntur Jo. XX. v. 21.
 22. 23, tradendo iis clavium potestatem. Plura de his legere licet apud
 HAMMONDUM diff. 3. contra BLONDELLUM c. 4. Jo. XX. v. 21.
 CHRISTUS dicit: καθὼς ἀπέσαλνε με ὁ πατήρ πάγω πέμπω ὑμᾶς,
 quemadmodum ego Patris mandato et concessione vocavi et elegi vos
 libere, ita et vos concessione et mandato meo alios debetis vocare,
 similique facultate, qua vos, ornare; ut et illi alios mittant usque
 ad consummationem seculi, ne in ecclesia desint ministri legitimi,
 prohibeanturque illi, qui non missi se ministerio ingerere annitantur.
 JEREM. XIII. Ordinabant itaque morem gerentes suo Magistro,
 observantes duplicem ordinem ab Archiepiscopo statutum; tradentes
 Episcopis eminentiorem potestatem, Presbyteris autem (ut lubet
 MARCO ANTONIO DE DOMINIS loqui) non plenitudinem potes-
 statis, sed partem sollicitudinis. Quo ergo jure Apostoli et 70 disci-
 puli constituti, eodem et Episcopi (differentia tamen manente) et
 Presbyteri: eodem enim edicto constitutus est et Apostolatus et
 Episcopatus. Hoe autem discrimen intercedit, quod Apostoli et disci-
 puli immediate a CHRISTO sint vocati, electi et missi, Episcopi autem
 hoc loco non immediate eliguntur et mittuntur ore CHRISTI, sed
 Apostolorum, aliorumque Episcoporum, a quibus externa peragitur
 vocatio et missio: CHRISTO tamen tradente episcopalem potestatem
 per ministros. Ut vero primitus parum erat discriminis inter
 Apostolos et discipulos, ita aliqualiter quoque ab initio Episcopi
 a Presbyteris discrepabant. Nam Apostoli Presbyteris non minus
 quam

quam Episcopis potissimum partem munera ecclesiastici concedebant; saltem in ecclesiae regimine, confirmatione baptizatorum, ministrorum ordinatione, jejuniorum solemnum indictionibus, et canonibus condendis, Spiritus S. traditione, Episcopi, Apostolorum velut successores, differebant, illisque erant superiores. De harum autem in scriptura sacra vocum *Ιερονυμία* audiamus P. MORTNAEUM epist. i ad Episcopum WINTONIUM sic differenter: Dixi, in Novo Testamento voces Episcopi et Presbyteri perinde accipi, sed non putavi, perinde imminui episcopalem dignitatem, cum locutus sim de solo nomine, non de solo munere. Habemus consentientes praeter Presbyterum HIERONYMUM, veteris ecclesiae Episcopos, qui non putarunt sibi fraudi esse, aut de sua dignitate quidquam detrahi, si has voces primitus eodem sensu usurpatas fuisse crederetur; et propter hanc vix palpabilem discrepantiam Episcoporum et Presbyterorum, (qui concurrentem evangelizandi et sacramenta dispensandi potestatem habebant) factum est, ut nusquam in scriptura N. T. curate et explicatius titulis episcopalibus et presbyterialibus ab invicem secernerentur; immo quandoque Episcopi honore aliis praecentes non pro viruperio habuerunt Diaconatum, nec Apostoli renuerunt discipulorum titulum. PAULLUS ANDRONICUM et JUNIAM insignes inter Apostolos nominat Rom. XVI. v. 7. Quoties ex animi submissione existimarunt, alias aliis praecellere, Philipp. II. v. 3, saltem in aliquo terro convenientiam agnoverunt. Unde et LUCAS Act. I. v. 20. Apostolis Episcopatum et v. 17. Diaconatum iis competere statuit;

B

atque

atque ita quandoque voces: Apostolus, Episcopus, Presbyter, Diaconus pro omnibus indifferenter verbi ministris accipiuntur. PETRUS in 1 epist. c. V. v. 1 aliis ut συμπρεσβύτερον sc̄ ipsum adjungit, et JOANNES se Presbyterum appellat 2 ep. c. I. v. 1. et 3 ep. c. I. v. 1. Erat enim sub primordia ecclesiae Christi, in primis illis CHRISTI utriusque ordinis ministris charitas, humilitas, animorum conjunctio, et in CHRISTI ministerio sollicitudo; ut certatim ad opus ministerii accingerentur, et se invicem potius praevenirent, quam mandata et iusta inferiores a superioribus expectarent. Episcopos autem in ipsa plantatione ecclesiae N. T. inter gentes et ordinatione apostolica, ordine fuisse priores suis Presbyteris, tota testatur antiquitas ecclesiastica. IGNATIUS, Apostolorum σύγχρονος, cognomine Ιωάννος, Episcopus Antiochenus, discipulus ipsius JOANNIS, in epistola (quacanam epistolae ejus genuinae, quae spuriae sint, legere licet apud BELARMINUM de scriptor. eccles. ab anno 1 ad 100. p. 41. et ARNDIUM in Lex. antiq. p. 876.) ad Schmyrnenses (quae pro genuina habetur a citatis) septima sic praecepit, e greco latio sermone expresso: *Omnis Episcopum sequimini, ut CHRISTUS Patrem; et Presbyterorum collegium ut Apostolos, Diaconos reveremini ut ex Dei praecepto ministrantes. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant, rata εὐχεπία habeatur illa, quae sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit: ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit; non licet sine Episcopo baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Dochen celebrare: sed quodcumque illi visum fuerit secundum beneplacitum*

Dei,

Dei, ut tutum et ratum sit, quodcumque feceritis, et paullo post: *Honor Deum, ut omnium Auctorem et Dominum, Episcopum vero ut Principem sacerdotum, imaginem Dei referentem.* Nullus Rege praestantior, aut quisquam similis ei in rebus omnibus creatis; nec Episcopo quidquam majus in ecclesia, qui Deo consecratus est, pro totius mundi salute; qui honorat Episcopum, a Deo honorabitur, sicut qui ignominia afficit illum, a Deo punietur. Si enim is jure censetur poena dignus, qui adversus Regem insurgit, ut qui violet bonas legum constitutiones, quanto putatis graviori subjacebit suppicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens, et decentem rerum ordinem confundens. Omnia igitur vestra decenti ordine perficiantur in CHRISTO, Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus CHRISTO, ut ipse Patri. Et in epistola ad Ephesios undecima: *Quanto magis quisquam Episcopum tacentem videt, tanto magis revereatur:* omnem enim, quem Paterfamilias in domus suae administrationem mittit, nos ita recipere decet, ut ipsum, qui eum misit. Unde patet, Episcopum CHRISTI oeconomum, clavibus quippe minitum, sicut ipsum Dominum recipiendum esse. Et in ep. ad Trallianos 2^{da}: *Valete in IESU CHRISTO, subiecti Episcopo, et similiter Presbyteris et Diaconis et signillatim omnes alter alterum diligite corde individualiter.* IRENAEUS, Episcopus Lugdunensis Galliae, adversus haereses Valentini et similium, l. 3. c. 3, cuius subscriptio de Apostolorum traditione, vel ab Apostolis in ecclesiis Episcoporum successione, idem testatur; eius verba ipsissima, ex interprete licet minus felici, huc lubet referre: PETRUS et PAULLUS, beati

B 2.

Apostoli,

Apostoli, fundantes et instruentes ecclesiam, LINO episcopatum administrandae ecclesiae tradiderunt; hujus LINI PAULLUS, in iis, quae sunt ad TIMOTHEUM, epistolis meminit. Succedit ei autem ANACLETUS, post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur CLEMENS, qui et vidit ipsos Apostolos et contulit cum iis: Huic autem CLEMENTI succedit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est SIXTUS, et ab hoc TELESPHORUS, qui etiam gloriofissime martyrium fecit; ac deinceps HYGINEUS, post PIUS, post quem ANICETUS, cum autem successisset ANICETO SOTER, nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet ELEUTHERIUS. Idem IRENAEUS de Schmyrnensis ecclesiae angelo affirmat: Paullo post POLYCARPUS, ab ipsis Apostolis in Asia, in ea, quae Schmyrnae est, ecclesia, constitutus Episcopus; quem et nos vidimus in prima nostra aetate: multum non per severaverat, et valde senex gloriofissime et nobilissime martyrium faciens, excivit de hac vita. Hucusque IRENAEUS, PHOTINI martyris successor assertor formulae: Christum passum esse, requiescente verbo, saltum ut mori posset, l. 2. c. 21, et quod CHRISTUS jam crucifixus quadragesimum annum expleverit, l. 2. c. 40.) Ab haec Χριστοῦ in hunc usque diem apostolicae sedis Episcopi Romani prae omnibus aliis indigitari cupiunt ecclesias. Eandemque sententiam IRENAEI comprobat EUSEBIUS Pamphylus (de quo centur. 4 historic. JOSEPHUS SCALIGER in græcas παντοδαπάς historias Eusebii p. 255. lat. 2: multae sunt hallucinationes, multa peccata EUSEBII. Nullus est autor, qui leviori studio et majori securitate judicii lectorum scriperit, quam hic noster)

l. 3,

I. 3. c. 4, cuius rubrica de prima Apostolorum successione, his verbis:
LINUS, quem PAULLUS fili Romae adfuisse et Timoth. memorat, primus
post PETRUM Romanae ecclesiae episcopatum sortitus est, et **TIMOTHEUS**
primus Ephesiana paroeciae et **TITUS** Cretenium Episcopus declarati fue-
runt. In ejusdem libri cap. II. docet: **JACOBUM** Apostolum primum Hier-
osolymorum Episcopum, ex concluso Apostolorum, discipulorum Domini, et
cognatorum secundum carnem, successorem in ejusdem paroeciae sedem adep-
tum esse **SIMEONEM**, **CLEOPHAE** filium, Servatoris consobrinum, Immo
ab ipsis Apostolis Episcopos a Presbyteris distinctos institutos esse,
extra dubium ponit Chalcedonensis concilii albus 2^{dus}: a S. TIMOTHEO
(quem per impositionem manuum suarum ordinatum scribit PAULLUS
et Timoth.) ad hoc tempus, inquiunt Patres, et Episcopos in
Epheso ordinatos esse. **TERTULLIANUS** etiam, Carthaginensis Pres-
byter, σύγχρονος **SEVERI**, ut ipse fatetur, (quem CYPRIANUS
50 annis post Episcopus, magistrum suum salutat) idem plane assever-
rat, his verbis: *Sicut Schmyrnaeorum ecclesia POLYCARPUM a JOANNE*
refert collocatum, *sicut Romanorum CLEMENTEM a PETRO ordinatum*
egit; perinde utique & caeterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum
constitutos, apostolici seminis traduces habent. **CLEMENS** in epistola 1^{ma}
ad JACOBUM, fratrem Domini, distinctionem expressam ponit, ex
CHRISTI institutione, inter Episcopum et Presbyterum. Idem et facit
ANALECTUS in epist. 1 et 3, quae ipsi tribuuntur. Sed has, ut dubiae
fidei, non admodum urgamus. Insuper ex ἀγαντίρρητῳ ejus, qui est
& et ω, ac visus in medio 7 candelabrorum aureorum, testimonio

apocalypticō comprobatur, singulares in 7 singulis ecclesiis Asiaticis Episcopos destinatos fuisse Angelos, id est, Metropolitanos ecclesiarum, aut praefectos dictos; siquidem Angeli titulo summos sacerdotes Ebraeorum ornatos fuisse, ex MALACH. II. v. 7. notum est, istique in Apocalypseos initio totidem astris manu Christi comprehensis assimilantur. Unde firmiter sequitur, hanc Angelorum in ecclesia praeeminentiam et εξετασι ab Apostolis immediate institutam, ab ipso CHRISTO confirmatam seu comprobata fuisse. Hi Episcopi plebebant, quicquid delirarant curae ipsorum commissi. PAULLUS in Creta, deinceps Candia dicta, mandat haud promiscue omnibus ibidem Presbyteris, sed solum TITO c. I. v. 5, tanquam secundario Apostolo, seu Archiepiscopo Cretenium, ut passim per presbyteria seu ecclesias 100 oppidorum istius insulae constituant Presbyteros, v. 7. Episcopos dictos, et quae decessent in ecclesia, corrigit. Discremen igitur necessario inter TITUM aliasque ecclesiac ministros ibidem fuisse, ut statuatur oportet, quale esse solet inter ordinatorem et ordinatum, inter reum, auctorem et judicem; et hoc luculenter collimat THEODORETUS in argumento epistolae ad TITUM: *Ei commissum est, ut Episcopos sub se ordinaret.* Quod Apostoli ecclesiis distinctis distinctos Episcopos praefecerint, testatur, referente HORNBECKIO in summa controversiarum l. 11 de graecis p. 845. HIERONYMUS epist. ad EVAGRIUM, et quod MARCI Evangelista temporibus usque ad HERACLAM et DIONYSIUM Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiore gradum collocarint, quem Episcopum nomina-

nominabant. Si jam MARCI et JACOBI temporibus, ergo necessario
jam Apostolorum, cum et hi sint Apostoli. Idem HIERONYMUS in
commentario ad TITUM refert: *tunc, ipsis Apostolis adhuc viventibus,*
et videntibus, in remedium schismatis toto orbe decretum fuisse, ut unus
de Presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem ut singularem plane
Episcopum omnis ecclesiae cura pertineret. Quomodo autem fieri potuit,
ut toto hoc orbe decerneretur, nullo jam concilio propterea congregato,
nisi ab Apostolis ipsis, Evangelium toti orbi promulgantibus, et
cum fide hanc regendi ecclesiis formam constituentibus, istud factum
fuisse statuatur? Unde et mox JACOBUS Act. XV. v. 13, velut pri-
mus Hierosolymorum Episcopus ex circumcisione, in synodo dedit
ultimum votum decisum, oborto schismate inter Judaeos et Graecos
conversos de jugo legis sub N. T. gentibus nimirum ad fidem conversis
satis esse Christum, neque illos posthac indigere circumcisione ad per-
fectionem. Item de scriptoribus ecclesiasticis: JACOBUS, ab Apo-
stolis Episcopus Hierosolymorum ordinatus, suscepit ecclesiam Hierosolymae.
TIMOTHEUS a PAULLO Ephesiorum Episcopus ordinatus; TITUS cretae,
POLYCARPUS a JOANNE Schmyrnae Episcopus constitutus. Ipse quoque
HIERONYMUS primum declarat Hierosolymorum Episcopum, ad
Galatas II. dicens: JACOBUS primus ei ecclesiae praefuit, quae prima in
CHRISTUM credens ex Judaeis fuerat congregata, Episcopus Hierosolymorum primus. Hi aliqui S. Patres, jam ab ipsis ecclesiae CHRISTI
incunabulis, una cum pseudocanonibus apostolicis, tres praeprimis
gradus, ordine differentes ab invicem, hierarchicos Episcoporum,

Presby-

Presbyterorum et Diaconorum in usu fuisse, ob diversitatem donorum inter ecclesiasticos, et necessitatem gubernandi civitatem Dei, ad eavenda schismata, aliaque incommoda, referunt. Si autem in bello non statim aliquis ad rerum gubernacula admittitur, nisi gradatim eo descendat, multo magis in rebus divinis administrandis tali prudentia opus est. **BASILIUS M.** de ATHANASIO commemorat, quod *per omnem graduum transferit seriem, antequam ipsi concederetur populi praesidentia;* quem **GREGORIUS NAZIANZENUS** orat. 21 in laudem ATHANASII conscripta, vocat tubam ecclesiae et columnam, oculum orbis et Doctorem certaminum, **EPIPHANIUS** patrem rectae fidei et **THEODORETUS** propugnaculum veritatis. **EPIPHANIUS** in epist. ad **JOANNEM HIEROSOLYMITANUM** scribit: *Presbyterum neminem fuisse ordinatum, nisi qui prius fuerit Diaconus;* et varia de ordinationibus per singulos gradus ecclesiasticos hue facientia offendes in concilio IV Carthaginensis, vere quarti, canonibus. (de quibus synodus Carthaginensis notanda legimus apud D. CALIXTUM de conjugio clericorum, p. 400.) Nuper ex gentilissimo Christianum factum, per baptismum ecclesiae insitum, in doctrina et cruce non sufficenter probatum, protinus Episcopum fieri prohibet Novella 123, can. 1, ne forte objiciatur illud **GREGORII NAZIANZENI** in orat. funebri ATHANASII: *Simul discipuli et praeceptores pietatis, heri sacrilegi, hodie sacerdotes, heri extra sacra, hodie Praefules mysteriorum;* et illud **HIERONYMI:** *Heri catechumenus, hodie Pontifex.* Hanc et ob causam **CAJUS ad DAMASUM** vult, ut per gradus aliquis ad episcopatum

epopatum evchatur; quod et a SYLVESTRO in synodo Romana confirmatum est. Unus AMBROSIUS, ne quidem *γεόφωνος*, needum baptisino initiatus, adhuc catechumenus a profana praefectura ad episcopatum communi populi Mediolanensis suffragio electus est; et haec electio, resistente licet canone Nicaeno, Valentinianni et ecclesiae consensu approbata fuit: apud RUFFINUM libr. 2, c. 11. et THEODOREUM libr. 4, c. 6. Sufficient haec testimonia ad refutandos istos, qui gradum Episcopi distinctum a Presbyteris sic pugnare cum temporibus apostolicis contendunt, sicut olim *πολυχρυστα*. Ad quid autem horum Episcoporum a Presbyteris distinctorum hi gravissimi autores meminissent, si isti pares reliquis viris ecclesiasticis ejusdem dioecesos fuissent? Et sane frustraneum forer, catalogos Episcoporum ullius ecclesiae immediate ab ipsis Apostolorum temporibus nectere, si ab initio N. T. Episcopi a Presbyteris haud fuissent distincti, nec ius superiores. Verum contrarium sentientes quibusdam inituntur scripturae dictis, ubi non expresse horum trium graduum catholicorum fit mentio. Objiciunt illud Philipp. I. v. 1. σὺν ἐπισκόποις καὶ διάκονοι, ubi Episcopi mox conjunguntur cum Diaconis, nulla interjecta mentione Presbyterorum; item 1 Timoth. III, ubi cuncta ecclesiastica administranda committuntur Episcopis et Diaconis solam. Ast ignorant isti, nascente ecclesia N. T. ubi fidelium numerus supra modum nondum excreverat, in singulis civitatibus Presbyteros needum fuisse, et Diaconis solis accinctos Episcopos cuncta administrasse, teste EPIPHANIO libr. 3 contra AERIUM, his verbis: *In exordio Evangelii, ubi nemo episcopatu*

C

dignus

dignus inventus, manebat locus sine Episcopo; quando autem opus erat, et episcopatu digni inveniebantur, Episcopi constituebantur. Sic ibidem cum tanta fidelium multitudo non esset, ut Presbyteri inter eos constituerentur, in quolibet loco erant Episcopo contenti, ita tamen, ut Episcopo semper Diaconus ad ministerium adjungeretur, sine quo Episcopus commode esse non potuit. Hucusque EPIPHANIUS; et illud statim probari potest exemplo ecclesiae Hierosolymitanae, ubi ab initio JACOBO Episcopo Diaconos 7 adjunctos legimus Act. VI, et haec causa est, cur Episcopi cum Diaconis alicubi solum citentur. Dein certum est, PAULLI epistolam Philippensibus inscriptam spectare ad totam παπονίαν et ecclesias vicinas, quarum metropolis fuit Philippi, quae non solum metropolis, sed et colonia habita, Act. XVI. v. 12, ad quam reliquarum confinia propter judicia aggregabantur. Nec absurdum plane videtur, in una civitate olim fuisse plures Episcopos, distinctis coetibus praepositos, vel a duobus Apostolis in fidem allectis, vel diversis dialectis seu ritibus disparatis, quibus aliquamdiu plures Episcopi praesiderent. Bulla plumbea Papae in hunc usque diem probat, PETRUM et PAULLUM simul gubernasse episcopaliter ecclesiam Romanam: hunc gentibus, illum circumcisum fidei christianaem semina instillasse testatur, (de qua inter doctos ab utraque parte disceptata controversia: An PAULLUS nimurum et PETRUS unum idemque ecclesiae Romanae caput constituerint? quia nostri non est scopi, nil dicam) Et dein LINUM a PAULLO et CLEMENTEM a PETRO ibidem simul constitutos Episcopos fuisse, licet deinceps prohibitum fuerit, in una urbe duos

duos habere Episcopos, teste SOCRATE, his verbis: Una urbs non debet duos Episcopos habere; addita ratione in concilio cabbilonensi in Gallia, tempore EUGENII Papae celebrato, can. 4: Ut duo in una civitate, penitus uno tempore, nec ordinentur nec habeantur Episcopi; nec res ecclesiae faeva divisione debeat partiri. Hinc et THEODORETUS h. 2, c. 17. refert: Matronas supplicasse CONSTANTINO, ut LIBERIUS in exilium missus restituatur ecclesiae, respondisse Imperatorem, se velle de exilio revocare optimum LIBERIUM, sed amborum esse communem ecclesiae administrationem; hae autem observantes illa, quae supra dicta, clamarunt: Unus Deus, unus CHRISTUS, unus Episcopus. Non ac si unus totius orbis Episcopus esse debeat, sed in dioecesi. Licit vero Tit I. v. 7. et Act. XX. v. 17. πρεσβύτεροι et ἐπίσκοποι πατέρες indifferenter sic dieantur, non tamen tollitur differentia Episcopi et Presbyteri. Concedimus enim, omnes Episcopos esse Presbyteros, sed non contra. Retinuerunt itaque utrumque nomen Episcopi, verum non Presbyteri. TITUS loco citato, auctoritate apostolica peculiaiter instructus, ut tanquam superior Episcopus Presbyteros crearet oppidanos per 100 urbes Cretensum, et cum his dictis officiis ecclesiastici actibus Episcopi idem munus cum Presbyteris istis temporibus sustinerent, explicata distinctione eorum haud opus fuit. Act. XX. v. 28. Presbyteri mox vocantur Episcopi, quia ista munera, excepta ordinatione, adhuc sub auspiciis ipsorum Apostolorum eadem in ecclesiis regendis erant; ubi indifferenter in spiritualibus omnes populum fidelem in viam salutis praedicando,

dicando, hortando, monendo, consolando, baptizando, ligando, absolvendo ac communicando dirigeantur; et verbum παραδίδειν per pascere rectius explicatur quam per gubernare, quae paseendi curam Episcopo quam Presbyteris competebat; quia porro Ephesus erat Natoliae metropolitana urbs, PAULLUS compendio omnes totius Asiae pastores ad se Miletum evocat. Sed quid me multum macero? nodum hunc solvit THEODORETUS in cap. I. ad Philipp. et I Timoth. III. his verbis: *Episcopi et Presbyteri idem nomen, sed non res;* quia in maxima munerum parte, quae ad hos ordines spectabat, conveniebant, ac λότιμοι erant: inde et concedimus, Presbyteros etiam omnia Apostolorum munera essentialia ordinariaque non minus quam Episcopos vi ordinis sui exercere; non tamen accidentalia. Essentialia voco illa, quae ipsis tanquam evangelii ministris expresse, per se ac simpliciter sunt demandata: accidentalia vero, quae sunt extra hoc ministerium, ipsi ministerio adventitia ac superaddita, ecclesiae tamen quam maxime necessaria, non ad ipsum fundationem, sed ad decorum et conservationem. Haec ut uno intuitu lector cognoscat, tale MARCUS ANTON. DE DOMINIS de republica ecclesiastica libr. 2. c. 3. § XIX. p. 127. profert simile: *Quando in academiis quis creatur Doctor, huic esseentiale est, ut possit etiam docere, cathedras tenere, jura interpretari, etc. at vero si praeterea detur ei facultas, ut possit et ipse alios Doctores creare, hoc profecto Doctori, ut Doctori, est accidentale: quod tamen accidentale est, respectu ipsius doctoratus fere accidentale est, at respectu creationis aliorum Doctorum per ipsum est esseentiale.* Ita ista accidentalia Apostolis, ut ministris sunt obnubilat. acciden-

accidentalia, at vero, ut sunt ordinatores, sunt iis essentialia. Et ita Episcopi, quatenus ministri, idem sunt cum Presbyteris; at vero ut ordinatores sunt et rectores, a Presbyteris differunt essentialiter, per id tamen, quod ministerio est tantum accidentale. Objiciuntur et nonnulla ex Novo Testamento, quae quidem primo intuitu nobis contraria videntur. Act. XIV. v. 23. scriptum legimus, PAULLUM et BARNABAM per singulas ecclesias Presbyteros constituisse, non facta mentione Episcoporum iis praepositorum. Ergo idem sunt Presbyteri, quod Episcopi; cum tamen hic nomina confundantur, ut jam supra ostensum est, res tamen manent diversae. Act. XV. Presbyteros cum Apostolis synodalia confecisse decreta. Ergo nulla differentia inter Apostolos et Presbyteros, cum tam hi quam illi ecclesiam gubernarent. Verum enim vero quam plurimos Hierosolymis substituisse Apostolos, apricissimum est; quo et saepissime conveniebant alii Episcopi, jam constituti ob aetatem Presbyteri, id est, Seniores dicti, ut erat PAULLUS, BARNABAS, JUDAS etc. quibus nonnulli se adjungebant ex LXX, a CHRISTO ipso ad ministerium vocati, qui coniuncti, in rebus dubiis propositis decisivam, collectis suffragiis, edebant sententiam. Non autem valet consequentia, et illos Presbyteros ecclesiam gubernasse, et sic cum Apostolis vel Episcopis eodem gaudere munere et honore. Decanus, ut crasso probem simili, aliquuj facultatis academicae in consilium adhibet reliqua membra, ex eorumque suppeditata responsione judicium fert, salva tamen manente ipsius autoritate. Nec obstat illud 1 Timoth. V. v. 17: Qui bene praeſunt Presbyteri. Concedimus,

Presbyteros praesesse, non autem clero, sed fidelibus, tanquam doctores et directores ad salutem. Contrariari videntur et verba illa Ebr. XIII. v. 17, si sumenda sunt, ut jacent, quando Paullum sic scribentem legimus: obedire gubernatoribus. Verum ipsius epistolae inscriptio testatur, illam non esse directam ad particularem ecclesiasticum Judaeorum coerum, sed ad omnes ex ea gente conversos, per totum terrarum orbem dispersos, variis ecclesiis subjectos, et inde diversos agnoscentes Episcopos, quibus obediendum recte monet Apostolus. Ut autem dicamus, quod res est, Presbyteriani hi omnes per HIERONYMI Presbyteri, Diaconorum fastum calcantis, scripta non penitus excussa seducti, superioritatem Episcoporum super Presbyteros vix inter apostolicas traditiones numerarunt, haud attendentes ad causam, quae primo omnium compulerit hunc Patrem, ex scientia singulari fastuosum, impugnare quandoque Episcoporum eminentiam; is autem ad Diaconorum, Presbyteris se aquantum, fastum retinendum, identidem monuit Presbyteros, in secundo ordine licet locatos, haud ita procul ab Episcopis abesse, ut, excepta ordinatione, omnia cum Episcopis communia habeant: idem nomen in codice sacro sortiantur quoque Diaconi, interim tam longe infra Episcopos collocati sint, ut non alii quam diaconoi seu famuli Episcoporum censeri queant. Quod praeterea HIERONYMUS sibimet ubivis non plane constet in hac sententia, sed quandoque nobis suffragetur, paucissimis demonstrari potest, dum in fine epistolae ad Evagrium scribit: *Et ut sciamus traditiones apostolicas sumtas de Veteri Testamento; quod AARON, filii ejus*

atque

arque Levitae in templo fuerint, hoc sibi Episcopi, Presbyteri et Diaconi vendicant in ecclesia. Hinc luculenter constat, ipso HIERONYMO judice, inter Episcopum, Presbyteros et Diaconos sub Novi Testamenti temporibus, quod sub V. T. inter AARONEM, filios et Levitas discrimen, idem quod ab Apostolis positum sit. Porro in comment. in Ps. XLV sui temporis Episcopos, Apostolorum filios et successores statuit mox a temporibus recedentium a mundo Apostolorum, his verbis: *Apostoli a mundo recesserunt, habes pro his Episcopos, filios; sunt et hi parentes tui, quia ab ipsis regeris.* Et paullo post: *Constituit CHRISTUS in omnibus mundi finibus principes ecclesiae, seu Episcopos.* In TIT. c. 1. *Apostolus ecclesiae principem, id est, Episcopum formans.* Quod vero quidam nostrarium Theologorum HIERONYMUM hujus sententiae auctorem habeant, id faciunt saltem in gratiam Pontificiorum, qui nostrates clericos, tanquam ab Episcopis papalibus non inauguratoros, ordini sacro non accensent, indeque necessario putant, ecclesias nostras occidentales, a Romana separatas, non amplius habere jus, vocatos Pastores ordinandi per Presbyterorum Protestantium *χειροτονα*, nec posse ministerio solemniter destinatos sacramenta administrare, et clavibus regni coelorum efficaciter uti; cum tamen a nostris sacramento baptisini, aut matrimonii initiatos non rebaptizent, nec denuo copulent. Hinc patet, ipsum LUTHERUM et alios, ne quid habeant Pontificii, quod carpant in ecclesiarum evangelicarum ministris, ne quoque efficaciam sacramentis, a nostris administratis, admant, in principio reformationis allegasse ordinationem a Pontificiorum



ciorum clericis iis impertitam; et ab his in papatu iunctis successive in hunc usque diem oeconomicos mysteriorum Dei instaurari, cum tamen in casu necessitatis, denegata tyrannice ordinatione, unusquisque coetus piorum, ex sententia Casuistarum, quosdam consecrare, et Deo ad rem divinam peragendam sacrare possit.

Nihil addam, VIR SUMME VENERABILIS, nisi vota pro TE integerrima. Exstant rationes gravissimae, quibus coactus deprimere vocem malo, quam emittere frustra. An loquar de ornantibus praesertim Episcopum in TE, quas nemo non admiratur, virtutibus exquisitissimis? Ornet ergo Numen benignissimum, cuius honor TIBI semper suprema lex est, ornet TE praemii, quae non possunt non sequitam fidelem, tam venerabilem crucis Christi praecolum; largiatur cuncta, quae ad bene beateque vivendum sunt necessaria; det omne, quod cogitatione modo singi potest, salutare, jucundum, praefans, acceptum; pellat morbos, pericula, dolores, adeo ut summam nihil unquam perturbet animi tranquillitatem: servet TE bonus Deus ecclesiae, patriae, familiae; servet TE una cum conjugi honoratissima, sexus sui et pietatis decore. Ita vale, *Antistes venerande*, et TUO, quod impense rogo, me haud dedigneris paterno amore.



Fr 1753

Vol 18

ULB Halle
005 814 014

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



De
Episcopis a Presbyteris
diversis
Commentatio.

Qua
VIR O

Perillustri, Magnifico et Summe Venerabili

D O M I N O

ADAMO STRVENSEE

S. Theologiae Doctori Celeberrimo,

Augustissimi et Potentissimi Regis Daniae et Norvagiae
a Confiliis Ecclesiasticis in Senatu Sacro Supremo Primario, Generali per
Vtrumque Ducatum Superattendanti, Praeposito Gottorpiensi,
Rensburgensi, Husumensi, rel.

De
Jubilaco Sacri Ministerii

Anno CIC IC CCLXXX. Domin. xvii. p. Trinit. a. d. xvii. Septemb.

Sollemniter Celebrato

gratulabundus adplaudit

Guilielmus Alexander Schwollmann

Philosophiae et Liberalium Artium Doctor,

S. R. M. Daniae a Confiliis Senatus Sacri, Oraculorum divinorum interpres
in Arce Gottorp. et Eccles. Fridrichsberg. Pastor Primarius.

Hamburgi, prostat in bibliopolio HEROLDIANO

